

Vorbemerkung:

Der folgende Text soll in angemessenes Deutsch übersetzt und durch die Beantwortung der unter II. gestellten Aufgaben sprachlich erläutert werden.

I. Übersetzung

Festa dies Veneris tota celeberrima Cypro
venerat, et pandis inductae cornibus aurum
concliderant ictae nivea cervice iuvencae,
turaque fumabant, cum munere functus ad aras
5 constitit et timide, "si di dare cuncta potestis,
sit coniunx, opto" (non ausus 'eburnea virgo'
dicere) Pygmalion "similis mea" dixit "eburnae!"
sensit, ut ipsa suis aderat Venus aurea festis,
vota quid illa velint, et, amici numinis omen,
10 flamma ter accensa est apicemque per aera duxit.

Ut rediit, simulacra suae petit ille puellae
incumbensque toro dedit oscula: visa tepere est.
admovet os iterum, manibus quoque pectora temptat:
temptatum mollescit ebur positoque rigore
15 subsidit digitis ceditque, ut Hymettia sole
cera remollescit tractataque pollice multas
flectitur in facies ipsoque fit utilis usu.
dum stupet et dubie gaudet fallique veretur,
rursus amans rursusque manu sua vota retractat:
20 corpus erat! saliunt temptatae pollice venae.
tum vero Paphius plenissima concipit heros
verba, quibus Veneri grates agat, oraque tandem
ore suo non falsa premit, dataque oscula virgo
sensit et erubuit timidumque ad lumina lumen
25 attollens pariter cum caelo vidit amantem.

II. Sprachliche Erläuterungen:

1. Begründen Sie den Konjunktiv velint (Z. 9)!
2. Was für ein Satzteil ist amici numinis omen (Z. 9)?
3. Bestimmen Sie den Casus von toro (Z. 12)!
4. Welche Satzteilfolge und welche Stilfigur liegt vor in Z. 12?
5. Bestimmen Sie das Subjekt zu stupet (Z. 18)!